Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8378
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

ideo eorum cognitio naturalis ad plura se extendit quam humana. Cognitio autem beatorum angelorum adhuc ad plura se extendit in quantum sunt illuminati divine gratie et revelationibus divinis. Patet igitur quod demones a deo permissi possunt hominibus aliquas veritates revelare eis incognitas tamen quia demonum cognitio naturalis ad plura se extendit quam humana ut dictum est quia secundum Aug. super Gen. ad litteram plura de supernaturalibus veritatibus a sanctis angelis aliquando demonibus revelantur quas possunt ulterius revelare hominibus a deo permissi. Cum igitur revelatio fit hominibus per demones tales dicuntur prophete demonum. Cum autem fit a deo immediate vel mediantibus sanctis angelis dicuntur prophete dei. Considerandum etiam quod talis revelatio differt a precedente non solum quantum ad causam revelantem ut dictum est sed etiam quantum ad formam revelationis quia revelatio facta est a deo et angelis suis nullam falsitatis continet. Sed illa que fit ex demonibus frequenter habet admixtam falsitatem quia secundum quod dicitur Jo. viii. ca. ipse demon mendax est et pater mendacii et ideo licet aliquando revelat hominibus aliquas veritates hoc facit ut efficacius decipiat ut ex pluribus veritatibus ab eo predictis postea sibi credatur in falsitate secundum quod dicitur in collationibus patrum Coll. ii. Abbatis Moysi quod demon in specie angeli boni cuidam fratri frequenter apparuit et multas veritates sibi dixit et quando vidit illum fere bene inclinatum ad credendum sibi tunc ei persuasit ut circumcideretur et quod aliter non poterat salvari. Sciendum etiam quod revelatio veritatis que fit a deo et angelis bonis non solum fit hominibus bonis sed etiam aliquando malis ut patet per verbum salvatoris Mt. vii. capitulo. Multi dicent michi in illa die domine nonne in nomine tuo prophetavimus etc. et subditur et tunc confitebor illis quia numquam novi vos etc. Hoc etiam patet per illud quod habetur iii. Re. xiii. capitulo de propheta seductore qui seduxit prophetam domini et postea sibi facta est revelatio a deo de morte illius prophete domini eo quod non obedierat voci eius. Prophetia enim respicit actum intelligendi. Caritas autem que facit hominem bonum actum voluntatis qui precedit ab actu intelligendi. Prius autem potest esse sine posteriori et ideo revelatio prophetica potest esse sine caritate et aliquando fit ut dictum est et hoc cedit ad commendationem veritatis revelate ut talis veritas testimonium habeat etiam ab adversariis veritatis et ad bonum aliorum descendendo igitur ad propositum dicendo quod Balaam fuit propheta demonum quia fuit ariolus et magus querens revelationes a demonibus. Fuit etiam propheta domini modo predicto in quantum aliquas veritates sunt sibi revelate a deo licet ab ipso non quereretur sed virtute divina fuit demon prohibitus dare sibi responsum